

**1999-06-14- SS Ioannes Paulus II - Epistola ‘Fratri Augustino Cacciavillan’**

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II A S.E. MONS. AGOSTINO CACCIAVILLAN IN OCCASIONE DEL  
50.MO DELL’ORDINAZIONE SACERDOTALE

Venerabili Fratri AUGUSTINO CACCIAVILLAN Archiepiscopo titolo Amiternino Praesidi Administrationis  
Patrimonii Sedis Apostolicae

Ministerii longinquitas magna plena fidelitas tui ipsius, Venerabilis Frater, tum sacramentalis in presbyteratus tui  
episcopatusque perfuntione diligent tūm officialis in Apostolicae Sedis diversis operibus, magnopere quidem  
Ecclesiam Matrem laetificat, at Nos in primis recreat qui hoc potissimum tempore fausto actuositatem tuam  
multiplicem vocibus illustrare cupimus Nostris, dum singularem prorsus vitae tuae operaequē proximum  
eventum his Litteris tibi velut coram traditis honorare volumus convenienterque tot cum aliis tui fautoribus et  
amicis concelebrare.

Vicentina quoque communitas suo prope iure de te gloriatur, cuius in finibus ortus es ac tres priores sacerdotii tui  
transegisti fructuose annos pulcherrima quadam in ipsius paroecia. Intento itaque studio et gratulabundo animo  
exspectant passim sane plurimi praevidentque vicesimum sextum mensis Iunii diem, quo quinquaginta ipsos  
abhinc annos Christi Redemptoris sacerdotio es in aeternum auctus et initiatuſ, cum adeo clarum simul industriae  
frugiferae iniisti curriculum, effecta cuius diu posthac salutaria per orbem percipientur.

Sacerdotales enim tuas virtutes ingenique dotes p̄aeclaras Decessor Noster immortalis memoriae Paulus VI  
agnoverat, cum Ecclesiae inter spectatos pastores recenseri te vellet ac Pro-Nuntii partibus in Kenia  
Apostolicique Legati muneribus perfungi in Insulis Seycellianis iam viginti tres abhinc annos. Nobis deinde item  
merita perplacuit navitatis tuae illuminare destinareque ad catholicarum utilitatem communitatum prius in India  
ac Regno Nepalensi, postea apud Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis regimen et Statuum  
Americanorum consociationem. Singulis autem his in munib⁹ sollerter explendis cum Matris Ecclesiae haud  
umquam spem de te exspectationemve fefelleris, Nostra ideo gratulatio de sacerdotii tui primordiis cum  
laudativa totius tui operis aestimatione facile necessarioque coniungitur.

Quinquagesimum propterea sacerdotii tui commemorantes annum et aureum iubilaeum tum quadragesimum  
pariter in Sedis Apostolicae ministerio adsumus tibi, quem prope Nos nuperius operari in Administratione  
Patrimonii Sedis Apostolicae censuimus, ac tecum, Venerabilis Frater, congruas Pastori Divino omniumque  
gratiarum Auctori referimus laeti grates de donis caelitus tibi tributis tuaeque de providae operae beneficiis.

Quam beatissimus tibi ut anniversarius presbyteratus tui illucescat exoptamus dies teque maiora deinceps incitet  
ad incepta pro Dei Populo suscipienda uberiōresque tibi cumulandas laudes. Esto tibi igitur salutatio haec valido  
solacio et incitamento; perpetui similiter favoris superni esto posteros in annos tibi, Venerabilis Frater, pignus  
Apostolica Benedictio Nostra nominatim nunc ipsum transmissa.

Ex Aedibus Vaticanis, Kalendis Iuniis, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.

IOANNES PAULUS II